

www.e-rara.ch

Nehemias

Lavater, Ludwig

Tiguri, anno 1586

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 5.118,2

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2576>

Caput X.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

bonis magistratibus, quod nostra dilapidamus, &c.

2. Quam misera res sit si illi qui liberæ conditionis fuerunt, seruire cogantur, non fruuntur suis laboribus subinde, venit eis in mentem, quam felices antea fuerint.

3. Quomodo libertas semel amissa recuperanda sit. Non seditionibus, sed auferendo causas malorum, & precibus vitæ emendationem adiungendo. Quanquam rarò fit, ut gentes oppressa semel eorum libertate, iterum emergant. Habent enim principes multas vias quibus viatos in officio contineant: patienter ita quæ iugum ferendum erit.

4. Ad preces pertinet firmum propositum emendandi vitam. Illi iureiurando se mutuum ad legis obedientiam obstrinxerunt. Iacobi 4. cap. petitis & non accipitis, eo quod malè petatis, ut in voluptatibus vestris insumatis, &c.

CAPVT X.

HOMILIA XLIII.

Nomina eorum recitantur qui fœderi subscripserunt: quidquæ in eo Domino promiserint, commemoratur.

INter signatos autem (illos) fuerunt Nehemiah, Thir-
sath, filius Hachaliah, & Sidciah,

2 Seraiah, Azariah, Irmeiah,

3 Pashur, Amariah, Malachijah,

4 Hatthus, Sebeniah, Malluch,

5 Harin, Meremoth, Obadiah,

6 Daniel, Ginethon, Baruch,

7 Mesullam, Abijah, Mijamin,

8 Maaziah, Bilgai, Semaiah, isti (sunt) sacerdotes.

9 Leuitæ verò, Iesua filius Azaniah, Binnui, de filijs

Henadad, Cadmiel.

10 Fratres autem eorum, Sebaniab, & Hodijah, Celi-
ta, Pelaiab, Hanan,

11 Micha, Rehob, Hafabiab,

12 Zacchur, Serebiab, Sebaniab,

13 Hodijah, Bani, Beninu.

14 Capita populi, Paros, Pabath moab, Elam, & Atthu,
Bani,

15 Bunni,

- 15 *Bunni, Azgad, Bebai,*
 16 *Adonijah, Biguai, Adni,*
 17 *Ater, Hizciah, Azur,*
 18 *Hodijah, Hafum, Besai,*
 19 *Hariph, Anathoth, Nebai,*
 20 *Magpias, Mesullam, Hezir,*
 21 *Mehezabel, Sadoc, Iadua,*
 22 *Pelatiab, Hanan, Anaiab,*
 23 *Hosea, Hananiah, Hafub,*
 24 *Halobes, Pilha, Sobec,*
 25 *Rehum, Hafabnah, Maaseiab,*
 26 *Et Ahijah, Hanan, Anan,*
 27 *Maluch, Harim, Baanab:*
 28 *Atq; residuum populi, sacerdotes, Leuitæ, & ianito*
res, canores, Nethinæi, & omnes separatus à populis terra
rum ad legem Dei, vxores eorum, filij eorum, & filia eo-
rum, omnis sciens & intelligens.
 29 *Apprehenderunt cum fratribus suis optimatibus su-*
is: & vnerunt cum execratione & iuramento, quòd ambu-
larent in lege Dei, que data est per manum Moseh serui
Dei, & custodirent ac facerent vniuersa præcepta Iehouæ
Dei nostri, & iudicia eius & statuta eius.

Mvis disputatur quomodo caueri possit, ne regna, po-
 puli atque priuati homines in magnas calamitates in-
 cillant, aut ex ijsdem rursus emergere possint. Quo-
 nam autem veras causas illarú ignorant, fieri non po-
 test quin latáur. Deus qui calamitates immittit & tollit, passim
 per seruos suos prophetas ostendit, omnes calamitates ex pec-
 catis oriri: vnicam vero & compendiariá viam, per quam illas
 effugere, vel ex illis liberari possint, esse veram pœnitentiam.
 Hac via ac tione, diximus superiori capite, Iudæorum popu-
 lum ex multis captiuitatibus liberatum esse. In eiusdem calce di-
 ctum est, hunc ipsum vt ex seruitute plenè liberaretur, iussu Le-
 uitarum scæus pepigisse, quod fidem Deo seruare velint, & de-
 inceps secundum legum ipsius exactius viuere, illudque con-
 scripsisse in abella vel libello, cui proceres subscripserint, ad-
 iecto suo sigo: iam vberius in hoc ipso capite, de eadem re
 agitur.

Hæc doctrina nostris quoque temporibus utilis est & ne-

cessaria, quando omnes dicimus: res nostras diu stare non posse. Nisi enim hoc exemplum imitemur, nulla proderunt consilia, fœdera, arma auxilia.

Ordo huius capituli hic est, primo loco recensetur catalogus illorum qui subscripserunt & subscriparunt libellum vel tabellam renouati fœderis.

Enumerantur autem nomina circiter 80. virorum qui ob-
signarunt tabulam illam fœderis, hoc est, qui sigillo munierunt suo & aliorum nomine, &c. Primo quidem loco ponitur Nehemias. Vnde quidam colligunt sacerdotem fuisse, quia cum alijs sacerdotibus in textu exprimitur. At ideo primo loco ponitur, quod regis Persici nomine toti populo præfuit. Deinde præcipui ex sacerdotibus, tertio quidam ex Leuitis, quarto capita populi numerantur.

Pulchrum autem est si proceres in reformatione bonis exemplis subditis suis præeunt: Vt si ebrietas, vsuræ immodicæ, adulteria, & id genus alia flagitia auerrucanda sunt.

Secundo loco commemorat quòd se iureiurando ad legis obseruationem astrinxerint, dicit enim residuum populi, ianito res, cantores, Nethinæos, & omnes qui relictis populis alienigenis, venerant & conuersi fuerant ad legem Dei (periphrasis est profelytarum, vt i. Esdræ 6. versu 21.) vxores & liberos eorum, breuiter omnes scientes & intelligentes, vulgo dicunt, qui ad annos discretionis venerunt, cum fratribus & optimatibus suis apprehendisse, hoc est, tabulam illam approbasse, amplexatos esse, fœdus ratum habuisse.

Mox additur, eos venisse cum execratione & iuramento, quòd ambulari essent in lege Dei, &c. Hoc est, diris execrationibus & iuramento adhibito ac interposito spondisse, se seruaturus legem diuinam. Deus aliquando aduocatur testis cum diris & execrationibus. Dauid in Psalmo: Si feci istud, & si est iniquitas in manibus meis, auferat hostis gloriam meam, & conculcet ad terram vitam meam. In sacris literis semper ferè iuratur per particulam si, & intelligitur execratio, dispeream, malè mihi sit, vel aliquid simile. Iob. 17. versu 2. si non irrisores mecum sunt, & capite 31. Item, hæc mihi faciat Deus & hæc addat. In 2. ad Corinth. Deum vocat testem in animam suam.

Vxores, puellæ, pueri, iurasse videntur, quanquam non disertè exprimitur: de Leuitis non est dubitandum.

Subiangit, *quæ data est per manum Moyses serui Dei.*) Quando Moy-

Nehemias alij præponitur.

Qui, quid, quo modo promiserint.

Iuramentum execratorium

do Moyſis fit mentio, ſæpe additur ſeruus Dei, qui honorificus eſt titulus. Sancti enim non ſunt fraudandi ſuo honore. Honor verò qui Deo debetur, nec eſt transferendus in eius ſeruos.

Moſi Deſeruum.

Et cuſtodirent & facerent vniuerſa præcepta Iehouæ Dei noſtri, & iudicia & ſtatuta eius.) Obligarunt ſe non ad partem dumtaxat aliquam legis, ſed ad vniuerſam legem præſtandam. Completitur enim omnes legis partes, moralem, ceremonialem & iudicialem. Caput hoc fœderis vel reformationis generale fuit. Poſtea ſpecialia ſequuntur ad finem uſq; capitis.

Discunt ſubditi & inferiores, vt bonis ſuperiorum veſtigijſ inſiſtentes approbent illa quæ bona ſunt. Mouetur hoc loco quæſtio, an non plus promittant, quàm præſtare poſſint. Dicunt enim ſe facturos ſecundum omnia mandata, iura & ritus Domini. At lex plenè ſeruari non poteſt à nobis. Sciendum eſt obſeruationem quandam legis eſſe perfectam, quæ nemini data eſt. Deinde eſt etiam inchoata, quando legi ſtudemus quantum in hac carnis imbecillitate fieri poteſt. Quando ſcriptura dicit ſanctos facere vel implere legem, ad Chriſtum reſpicit. Cuius impletio legis per fidem noſtra fit. Iuxta D. Paulum ad Romanos 8. Quod lex propter infirmitatem carnis noſtræ implere non potuit, id præſtitit Deus per filium, &c. Quidam fingunt legi Dei à nobis poſſe ſatis fieri: imò poſſe amplius & meliora fieri, ſtatuentes legis obſeruatione nos vitam æternam promereri: ſed niſi nobis donetur per Chriſtum quod meritis non conſequimur, perijmus.

An lex plenè poſſit ſeruari?

Quid verò neceſſe fuit iureiurando ſe ad legis obſeruationem adſtringere? an non ante obligati erant ad legem præſtandam? an non quotidie refricabant fœdus in circumciſione, vt nos in baptiſmo? Expendenda ſunt tempora. Nuper venerant ex Babylone quaſi nouus populus, denuò igitur fuerunt aſtringendi ad leges diuinas, ſicut ex Ægypto eduçti apud montem Sina fecerunt. Nò quidem adhibitum fuit iuſiurandum, vt Deo fidem facerent & perſuaderent Iudæos in fœdere perſtituros: ſed populi cauſa iſta facta ſunt, vt hæc actio magis penetraret in animos & eos commoueret, vt languentes excitarentur: & eis in memoriam reuocaretur quid iuraſſent, & quanta iuris iurandi eſſet dignitas. Si ſimpliciter aliquid promittimus, tenemur præſtare, quanto magis ſi iuriſiurandi religio accedat. Adhibitum eſt, vt minus auderent illa infringere & maiore ſolicitudi-

Cur iuratum.

ne cogitarent de fide sua liberanda. Quanta verò illorum est impietas, qui iugo Dei prorsus repulso, in quæuis scelera præcipites ruunt? Populus Dei in hoc fœdere, se non obstringit iureiurando ad res malas: nihil secundum suam bonam intentionem (vt vocant) suscipit: sed omnia ad legis normam dirigit. Solus enim Deo hic cultus probatur, quem ipse præscripsit: quia obedientia potior est illi omnibus victimis, 1. Samuelis II. cap. Nostris temporibus homines se ad falsam religionem aliquando adstringunt iureiurando, &c.

Consensu papisticum.

Ab aliquot seculis Romani Pontifices, illa quæ in concilijs decreuerunt de rebus diuinis, omnia voluerunt rata esse apud omnes Christianos, dicentes concilia errare non posse. Cuderunt nouos articulos, quos vel blanditijs, vel minis & terroribus alijs aliquando inuitis obtruserunt: postea gloriati sunt de nescio quo consensu religionis &c. Hic verò populus, non ad traditiones humanas, sed ad verbum Dei obstrictus fuit.

Liber Concordia.

Circumfertur hodie in Germania liber, si Dijs placet, Concordiæ, multis erroribus refertus, cui multi homines simplices & etiam viri eruditi & potentes subscribunt, varijs insidijs & artibus sophistarum inducti. Nemo autem existimet falsa dogmata, si multos suffragatores habeant, in vera transformari. Illi verò homines tam multos ad subscriptionem adigunt, hoc vt videtur consilio, quò veritatem in mendacio, vt Paulus dicit, facilius possint detinere.

Vtinam nos quoque qui longè à verbo Dei recessimus, fœdus cum Deo renouaremus. Hoc enim multò esset vtilius, quàm si de fœderibus cum imperatore, regibus, & alijs principibus in eundis consilia capiamus.

H O M I L I A XLIIII.

Speciatim recenset quid populus in fœdere Deo promiserit.

30 Et (quod) non daremus filias nostras populis terræ, & filias eorum non acciperemus filijs nostris.

31 Et (quod) à populis terræ afferentibus merces, & quancunque annonam in die Sabbathi, vt vendant, non accipiemus in Sabbatho, & in die sancto: quodque demittimus annum septimum, & exactionem vniuersæ manus.

Supra

SVpra audiuimus populum Israeliticum, non solum agnouisse & confessum esse peccata sua, sed etiam emendasse. Obligarunt enim se ipsos ad seruandam legem iuroiurando, literis & sigillis.

Et primo quidem in genere promiserunt, se integram legem Dei seruatu-
ros.

Caput generale federis illius. Capita singuloria.

Dein de speciatim commemorant capita reformationis, sex potissimum, quæ lege Dei comprehensa quidem sunt, sed vulgò negligebantur. Ex his quædam nunc videamus: pertinent enim etiam ad nos.

1. *Et quod non daremus filias nostras populis terræ, & filias eorum non acciperemus filijs nostris.*) Promisimus nos filias nostras non daturus in vxores populis terræ, hoc est, Samaritanis & alijs gentibus, vel alienigenis, qui non sunt de genere nostro: neq; filias eorum nostris filijs accepturos, quod interdum fiebat propter formam, opes, potentiam, & alia.

Obseruanda est hæc phrasis, dare filias nostras, accipere filias eorum, &c. Olim enim non potuerunt filij vxores ducere, aut filie maritis nubere, absq; parentum consensu qui nisi accessisset, irritum fuisset matrimonium. Vide Martyris commentaria in lib. Iudicum, & Bulliag in libro de matrimonio cap. 5.

Multis scripturæ locis vetatur coniugium cum diuersæ religionis hominibus, vt Exodi 23. & 34. Numeri 25. Deuter. 7. ne iungas te affinitate cum eis: auocabunt enim filium tuum post me, & colent Deos alienos. Iosue 23. repetitur. Cæterum Deum non tantum de septem proscriptis populis loqui, ratio adiecta declarat: nempe ne à veri Dei cultu auocentur. Vbi hoc periculum non erat, potuerunt etiam Ethnicas ducere. Exempla nota sunt. 1. Corinthiorum 6. cap. vetat ne iugum trahamus cum impijs, quod de coniugio accipiendum est: si verò accipias de societate, quanto magis à coniugio abstinendum, quo non est arctior coniunctio. Coniugium alioqui multas habet ærumnas. Quàm molestum est vel diem versari cum impijs. Maius est periculum si filie tradantur infidelibus, quàm si filij infideles vxores ducant. Multa quidem promittunt idololatræ, sed parum præstant: neq; putes te posse illos lucrifacere. Quid Solomoni acciderit, notum est. Ratio saltem liberorum habenda erat, qui à matribus idololatræ malè educantur. Sedulæ enim sunt in instillanda illis superstitione. Tot pericula parentes mouere debent, vt hac in parte cauti sint, neq; liberos suos, præsertim in-

Nuptia cum impijs.

uitos, tantis periculis exponant. Volunt sæpe opes comparare, & hac via eas amittunt, & suas ad desperationem adigunt. Iosaphat pius rex, Achabi impij regis filiam Athaliam, filio suo Ioram matrimonio iunxit, & ita suos tantum non perdidit. Liberi quoq; non inuitis parentibus se impijs iungant. Omnes religionis veræ rationem habeant in contrahendo matrimonio.

Discunt omnes homines, à societate malorum sibi cauendum. 1. ad Corinth. 5. cap.

2. *Et quoddà à populis terræ afferentibus merces & quamcunque annonam in die Sabbathi vt vendant, non accipiemus in Sabbatho & in die sancto.*) Colligimus ex his verbis, diebus sacris Ethnicos merces in urbem Hierosolymam attulisse, quas venderent, & annonam vel fruges. Vocem שבת schæuer alij triticum vel frumentum & hordeum interpretantur. Sic dictum vt rex David Kimhi à שבת schauar frangere & conterere, quòd frangat famem esurientis. Mihi potius dictum videtur quòd frumentum frangatur, secundum illud Virgilij

frugesq; receptas

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Pistores.

Ad quæ verba Seruius annotat: Apud maiores nostros molarum non erat vsus: frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant, & hoc genus erat molendi: vnde & pinsores dicti sunt, qui nunc pistores vocantur, &c. Alij ab emendo & vendendo, quod schauar etiam significat, deducunt. Vltimo capite huius libri dicitur, Tyrios pisces, alios alias merces, Hierosolymis festis diebus vendidisse, id quod Nehemias correxit.

Magna fuit apud Iudæos Sabbathi religio. Exodi 23. versu in 12. Sex diebus facies opera tua, die autem septimo quiesces, vt conquiescat bos tuus & asinus, & respiret filius ancillæ tuæ, & peregrinus. In Decalogo iubet illud sanctificari, quod sæpe repetitur, fuit enim consecratum cultui diuino, & symbolum fuit spiritualis Sabbathi, vt à prauis affectibus cessemus: item æterni Sabbathi. Voluit etiam Deus, vt seruis quies concederetur, &c. Promittunt se à gentibus non empturos venalia die Sabbathi, & in alijs ferijs, quæ etiam Sabbathi in scripturis appellantur. Multi ex Christianis diebus dominicis suos debitores vexant, & alijs diebus precibus destinatis, à sacris cœtibus absunt.

Sabbatum terre anno septimo.

3. *Quodq; dimitemus annum septimum.*) Non tantum Sabbathum septimo die seruandum fuit, sed 7. anno Sabbathum

terræ,

terræ, quo anno Deus iussit derelinquere, & deserere terram. Dicunt igitur agros nostros non colemus, neq; seminabimus, neq; fructus colligemus, sed relinquemus pauperibus quicquid terra eo anno spontè & vlrò proferet. Exodi 23, versu 10. sex annis seres terram tuam, & congregabis prouentum eius. In septimo verò relinques eam, atq; desereres, & comedent pauperes populi tui: residuum autem eorum comedet bestia agri: sic facies vineæ tuæ & oliueto tuo.

Hæc repetuntur & copiosius exponuntur Leuitici 25. versu 2. Cum ingressi fueritis terram quam ego do vobis, tunc sabbathizabit terra sabbatum Iehouæ. Sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesq; fructus eius &c. Lege reliqua Deut: 15. cap. versu 1. Septimo quoq; anno remittenda erant debita debitoribus qui non erant soluendo &c. de quo sequentia verba intelligenda sunt.

Et exactionem vniuersæ manus.) Munsterus reddit in onere cuiuscunq; manus, id est, in omnis generis oneribus, sicut & Germani loquuntur, *aller hand beschwerd*, exactionem omnè siue omnia debita. Quinquagesimo quoque anno, qui Iubilæus dicitur, possessiones venditæ ad pristinos suos possessores redibant. Serui Hebræi manu mittebantur, debita remittebantur, hinc annus remissionis dicitur, Leuitici 25. Aliæ quoque leges in bonum pauperum, viduarum, pupillorum & peregrinorum à Deo latæ sunt: vt ne spicas in agro legerent, neque in vinea vuarum grana decidentia, in oliua excutienda, non scrutandi erant rami. Si quis manipulum oblitus erat accipere in agro, non tollere debuit, Leuitici 19. & 23. Deuteronom. 24. cap. Decimæ quoque certæ, pauperibus tertio anno cedebant, de quibus postea dicemus.

Ex eo autem quòd terra Israelis sex annis coli potuit, colligimus quàm fertilis fuerit: nostram enim subinde quiescere oportet, vt supra quoq; annotauimus. *Fertilitas terræ Israelis.*

Deus voluit hæc sua lege, populi sui fidem & charitatem exscitare. Fidem, vt ab eo solo penderent. Cogitare poterant, quid intermissa agricultura edemus? Promittit eis in lege vberiore prouentum anno sexto, vt satis habeant donec terra suos fructus iterum proferat. Concedebantur etiam fructus quos ex agris, vineis & oliuetis colligebant, domino fundi & familiæ in cibum (fortassis si pauperes essent) ita tamen ne excluderentur alij pauperes. Fructus communes esse debuerunt. Ferarū qui-

bus fructus relinquendi sint, ideo videtur mentio fieri, ne opulenti eos recondant, prætexentes nullos pauperes eos accipere voluisse. Charitatem suam quoque testari Israelitæ debuerunt erga pauperes, qui non sunt vnius generis, relinquendo eis sponte nascentia & alia.

Legem hanc partim ceremonialem partim Iudicialem transferamus ad nos quoque. Si illi pauperibus iusta debita remiserunt: quanto magis nos debita quæ iniuste facta sunt remittere debemus: & colligationes nefarias relaxare & dissoluere, de quibus Isaïæ 58. *Wir sollen den arm lüt nit tryben / sy nit in die leistung manen / die wücher oder Judent duff vnd falsche verscribungen hint hin / pauperes item beneficijs afficere, ne grauem Dei offensam incurramus. Debitores interim sui quoque officij sint memores, ne si creditores debita ab eis exigunt, liberos suos & paupertatem prætexant, interea verò dies noctesque in caupona sedeant & helluentur.*

HOMILIA XLV.

Pergit recensere capita ad quæ se obstrinxerunt.

32 *Et statuimus super nos præcepta, vt imponerent nobis tertiam partem sechel eo anno, in opus domus Dei nostri.*

33 *In panem propositionis, & sacrificium iuge, & holocaustum iuge, Sabbathæ, Calendas, & solennitates, & in sancta, et in sacrificia pro peccato, ad expiandum Israel, & omne opus domus Dei nostri.*

34 *Fecimus & sortes super oblatione lignorum, sacerdotes, Leuitæ, & populi, vt adducant (ea) in domum Dei nostri, in domum patrum nostrorum temporibus determinatis annuatim, vt arderent super altare Dei nostri, sicut scriptum est in lege.*

Aliquot capita, quæ etiam lege Dei comprehensa sunt, speciatim recensentur, ad quorum obseruationem se Iudæi obstrinxerunt, quedam iam explicata sunt: sequitur deinceps quarto loco, quod promiserint se certam pecuniæ summam contributuros, ex qua emi possint quæ ad cultus Dei conseruationem & sustentationem sacerdotum pertinent. *Quamquam au-*

tem ceremoniæ illæ sublata sint per Christum, & leges illæ ceremoniales secundum literam non habeant amplius locum: tamen mens earum adhuc hodie valet: & sæpe de ceremonijs illis in ecclesia dicendum est, vt inuoluta eius mysteria eruamus, & multos scripturæ locos planius intelligamus.

Et statuiamus super nos præcepta.) Hoc est, imposuimus nobis, siue recipimus præcepta. *Vt imponerent nobis* (optimates) *tertiam partem Sechel eo anno.*) Recepimus nos soluturos hoc anno, vel vt alijs placet, singulis annis, præter summâ solitam, tertiam partem sicli. Moyses constituit Exod. 30. cap. vt à singulis qui censentur (censabantur autem qui 20. annum ætatis exesserant) dimidius siclus sanctuarij persoluatur, hoc est, iusti ponderis, vt quidam volunt. Iosephus siclum tetradrachmon facit: igitur dimidius siclus facit duas drachmas. Contribuebant eam summam, vt facta tecta seruarietur omnia, sumtus sacrificiorum & aliarum sacrarum rerum. Diuites autem non plus persoluerunt alijs: significabatur nimirum quòd diuites & pauperes tantundem iuris in sacris haberent. Hanc pecuniam collectam volunt quotannis die sequenti vltimum diem festi tabernaculorum, supra Nehem. 8. Alij in die expiationum. Iosephus de bello Iudaico scribit, Vespasianum Cæsarem Iudæis imposuisse binas drachmas singulis annis deferre in capitolium, vt antea templo pendebant. Videntur autem sponte tertiam partem recepisse vt omnibus sufficeret collatio, cum pauciores terram incolerent, Parum id quidem videri potest, sed summa crescebat. *In opus domus Dei nostri.*) Pro ministerio vel necessarijs templi: vt ex illa pecunia comparari possent, quæ ad templum & cultum Dei seruandum faciebant. Sequenti versu explicat quid opus domus Dei, vel cultum vocet, & in quos vsus hæc pecunia exposita sit.

In panes propositionis vel facierum.) Græcè τῶν ἀπρῶς προσησθεως. Quorum etiã in Euangelio fit mentio Matt. 12. Mar. 2. ca. Sic dicti quòd in oculis sacerdotum subinde versarentur. Panes 12 recentes in sanctuario fuerunt impositi mensæ aureæ, quæ descripta est Exod. 25. & distributi in duos ordines. Significauerunt Christum qui panis est vtriusque populi. Iudæorum & gentium, item illorum, qui ante & qui post suum aduentum vixerunt. Recens panis suavis est, ita cibus ille animæ. Hoc pane soli sacerdotes vescerentur in loco sacro, quia Christum soli fideles manducant. Infideles non habent illud os, quo Christus manducatur, nempe veram fidem. Leuit. 24. habes quomodo hi panes parari soliti fuerint.

Dimidius siclus quotannis datus.

Panes propositionis.

Et in sacrificium iuge.) Genus sacrificij quod vocant Mincha etiam cibarium sacrificium vel oblatio vocatur, à Græcis interpretibus *ἄσπονθυσία*. Constat ex fructibus terræ, de hoc agitur in Leuitico 2. 5. Numeri 5. cap. testabatur se Deo res ad vitam sustentandam necessarias, & terræ fecunditatem habere. Hoc sacrificium etiam quotidie eos obtulisse hic locus ostendit.

Et holocaustum iuge.) De iugi vel quotidiano sacrificio lege Exodi capite 29. & Leuitici 6. Numeri 28. i. libro Esdræ 3. capite. Singulis diebus agnus mane & vesperi offerebatur. Figura erat Christi, qui est agnus ille Dei qui tollit peccata mundi. Ioan. 1. cap. Item, agnus ille de quo in Apocalypsi qui dicitur occisus ab origine mundi.

Sabbatum. *Pro iugi holocausto, in sabbathis, mensibus & solennitatibus vel in sabbatha,* hoc est, in omne id quod fieri solet in sabbathis. Dies septimus quieti destinatus, sabbatum appellatur. Observatum fuit sabbatum à condito orbe, non Moyse demum tempore est institutum. Reuocabat eis in memoriam, conditi orbis beneficium: signum erat veræ sanctificationis, quam Deus solus cõfert. Exo. 31. Omnes quoque dies festi sabbatha appellantur.

Calendas.) Iudæi vt alij ferè gentes, vsi sunt mensibus lunaribus, quos à coniunctione solis & lunæ inchoabant. Dies igitur coniunctionis dicitur *חודש* Chodæsch quod tunc luna quasi nouum lumem accipiat à sole, quam ob causam à Græcis *νεομνσία* dicitur. In his sacrificium fiebat, vt admonerentur, ne menses diuis, sed soli Deo sabijcerent. De hoc Numeri 10. 18. 1. Samuelis 20.

Solennitates.) Per Moadin intelliguntur statæ feriæ vel solennitates quæ apud Hebræos computantur secundum cursum lunæ, vt pascha, sucoth *שבעות* moed tempus statutum, & quod aliquid testatur: à verbo *יעד* Ioad. Numeri 29. capite habetur quæ sacrificia singulis diebus festis septimi mensis offerri debeant, &c.

Et in sancta vel sanctificata.) Sanctificationes significat quæ eunque offeruntur Deo non pro peccato, de his enim mox additur.

Sacrificiū pro peccato.) *Et in sacrificia pro peccato.*) Chatah oblatio pro peccato *θυσίαν πρὸς ἀνασίων* septuaginta interpretes nominant. Expiabantur enim hoc sacrificij genere peccata *ἀνασίων* ex errore &

re & ignorantia commissa. Habuit hoc varias differentias, Leuitici 5. cap. Fuit aliud quoq; sacrificiū *θυσία πρὸς πλημμελίας*. Hebræi Ascham quod immolabatur ad expianda delicta *ἐκβασία* quæ libera voluntate committebantur. Ex eo verò ingentem consolationem percipimus, quod illorum quoq; peccatorum, quæ scientes & volentes commiserunt, sacrificium Deus gratū habuit, speranda itaq; nobis in Christo est omnium peccatorum venia.

Ad expiandum Israel.) Ad placandum Deum pro Israele, siue ad remouendam iram Dei, qua iratus est Israelitis. Non quòd sacrificia illa perpetrata scelera expiarent, & iram Dei contra peccata placarent: sed quia typus erat illius victimæ quæ Deo satisfactura erat pro genere humano: & quando fiducia eiusdem offerebantur, placebant Deo.

Et omne opus domus Dei nostri.) Quasi dicat, Breuiter, vel in summa, in omne opus, vel in omnem vsu (vt vetus habet inter pres) templi, nempe promissimus nos hanc pecuniam persoluturos.

Fecimus & sortes super oblatione lignorum sacerdotes, Leuitæ & populi, vt adducant (ea.) Sensus est, iecimus sortes inter Sacerdotes, Leuitas & populos de adductione lignorū, à quo, quando, quomodo adducenda essent. Erat quidem cōstitutum, vt sacerdotes ligna in ignem ponerent: Illis Leuitis seruiabant. Adducere autem ad hoc, officium fuit Nathinæorum. Ios. 6. Solutio precij pro ligno ad populum pertinebat. Fortè etiam sortibus delecti, militari more fuerunt egressi, ad afferenda ligna propter pericula ex hostibus.

In domum Dei nostri.) Hoc est, in templum ad altare holocaustorum, mox addit:

In domum patrum nostrorum.) Hoc est, in qua maiores eorum Deum coluerint, vel iuxta domum, hoc est, per vices.

Temporibus determinatis (constitutis) annuatim, vt arderent vel ad cremandum ea super altare Dei nostri.) Hoc est ad fouendum illum ignem cœlestem, qui erat in altari holocaustorum, quo sacrificari præceptum fuit Leuit. 6. capite. Filij Aaronis Nadab & Abihu Leuitici 10. capite, ideo interfecti fuerunt à Deo, quòd alienum ignem, hoc est, non institutum à Deo, in sacris vsurparunt. Deus enim cum Leuitę primū sacrificarent eius iussu in tabernaculo demisso cœlitus igne, hunc sacrificandi ritum approbavit. Hinc præceptum fuit, vt sacerdotes perpetuū ignem

Ignis perpetuus.

fouerent in tabernaculo siue templo. Hoc Ethnici κακοζήλια quadam imitati sunt, dum virgines Vestales perpetuum ignem fouere debuerunt. Qua de re qui plura velit legere, consulat Ludouici Cælij Antiquit. libro 15. capite 14. & Peuceri librum de diuinatione in πυρομαντία. Ignis ille adumbravit spiritum sanctum, qui fidem & dilectionem in nobis accendit. Sub ignis forma spiritus sanctus missus est Apostolis. Ignis simplex est & purus, purgat, calefacit, &c.

Addit, *sicut scriptum est in lege.*) Idem postea repetet, non enim nostro arbitratu Deus colendus est, sed secundum verbum suum: opera electitia Deus reijcit. Quod ex fide non fit, Apostolus dicit peccatum esse. Opera à Deo præcepta, ipse reijcit si ex fide non fiant, quomodo ergo probaret quæ ab hominibus excogitata sunt, & verbo Dei ex diametro aduersantur? Sortes proiecerunt, vt omnis contentionis materia tolleretur.

HOMILIA XLVI.

Promittunt se ad conseruationem ministrorum quæ in lege constituta erant, persoluturos.

35 *Et afferemus primitiua terræ nostræ, & primitiua omnis fructus cuiuscunque arboris annuatim in domum Iehouæ.*

36 *Primogenita insuper filiorum nostrorum, et iumentorum nostrorum (sicut scriptum est in lege) & primogenita bouum nostrorum, afferemus in domum Dei nostri, sacerdotibus ministrantibus in domo Dei nostri.*

37 *Et primitias pastarum nostrarum, & oblationum nostrarum, ac fructus cuiuscunque arboris, vini, & olei afferemus sacerdotibus ad cubicula domus Dei nostri, & decimam terræ nostræ Leuitis: ipsi autem Leuitæ (erunt hi qui) decimas accipiēt in omnibus vrbibus operū nostrorū.*

PEractis precibus promisit populus vitæ emendationem, quæ in hoc posita fuit vt legi studerent: iam pollicentur se res Deo sacratas, primitias, primogenita & decimas allaturos ad cubicula templi, quotannis, sicut lege mandatum erat, partim ad cultum Dei, partim ad eorum vsum qui templo inseruiebant. Primitias rerum inanimatarum, vt fruges, fructus, vinum, oleum,

oleum, pasta, & rerum animatarum von dem das da lebt. Hebræi vna voce complectuntur.

Et afferemus primitiua terræ nostræ.) Sensus est, polliciti sumus quod adducturi simus primitias, &c. Bechorim & Bechoroth primitias, primitiua & primogenita significat. Hæc vox quater hoc 35. & 36. versu ponitur. Primitiæ apud Latinos sunt primi fructus, postea versu 37. reschith ponitur, quod primitias quoque vertunt. Græci primos fructus *ἀπαρχάς* vocant, quos Dijs consecrabant, vt in proximum annum auferent etiam arborum fœturam. Primogenitus dicitur qui primo est genitus, etiamsi alij non sint geniti. Per primitias terræ vel agrorum suorum, non tantum manipulus & duo panes cum Hebræis intelligendi sunt, Leuit. 23. sed primi fructus omnium eorum quæ in terra ipsorum nascuntur, triticum, hordeum, &c.

Terræ.) *Vnser lands/oder vnser s felds* / ita dicimus, *citt hanfland.* *Et primitiua omnis fructus cuiuscunq; arboris.*) Primi arborum fructus, poma, pira, nuces, mala granata, ficuum & olearum genera, &c. Grammatici inter nuces & mala sic distinguunt, vt nuces dicant omne pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat quod esui est. Malum verò quod foris habeat quod esui est, & durum intus includat. Vide Macrob. Saturnal. libro 3. capite 19. 20.

Annuatim in domum Iehouæ.) Domino offerendæ erant primitiæ, non idolis. Ter solenniter allatas, paulò post dicemus.

Primogenita in super filiorum nostrorum & iumentorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, & primogenita boum nostrorum, & pecorum (vel ouium) nostrorum.) Behemoth est generale vocabulum omnium iumentorum quæ seruiunt homini ad varios vsus, Latinè à iuuando dicuntur iumenta. Bokar bouem vel vaccam interpretantur. Zon nomen commune ad oues & capras, ouem hoc loco Munsterus reddit. Intelligit armenta & greges.

Ius primogenituræ magnum fuit apud Iudæos. Nam primogeniti Sacerdotes erant, patres familiæ, & duplicem hæreditatis partem accipiebant, Deuteron. 21. capite. Cum autem Deus primogenita tam hominum, quam iumentorum in Ægypto percussisset, idq; vna nocte, & Israelitarum seruasset Exodi 12. capite, omnia illa sibi sanctificari iussit, hoc est, addici & ab omni vsu prophano separari, Exodi 13. cap. Sacerdotium verò quod primogenitis cedebat, fuit translatum in Leuitas qui mandante

Moyse de Israelitis vitulum conflatile adorantibus & vi defendentibus pœnas sumpserant. Deus enim virtutem eorum hoc præmio ornauit, & vt sibi ministrarent constituit. Exodi 32. Numeri 3. 8. Primogenita hominum adducebantur in templum, & statim certo precio redimebantur. Deus enim non gaudet humanis sacrificijs. Luc. 2. cap. adduxerunt Iesum Hierosolymam, vt sisterent eum domino secundum hanc legem de primogenitis Deo consecrandis, quæ extat Exod. 13. 34. Num. 8. Exo. 34. de bobus & ouibus omne pecus masculum meum est. Primogenita verò animalium mundorum sacrificabantur. Immundorum verò alia redimere licebat, vt asini primogenitū oue vel hædo: non redempto frangenda fuit ceruix. Aut non licebat redimere, vt canem quem oportuit occidere. Non enim licuit in priuatū vsum conuertere, quod Deo erat consecratum. De primogenitis vide plura Exod. 22. & 34. Deus iussit eos pecora bona fide persoluere, nec statim à lacte remouere.

Hæc cæremonia fuit instituta à Deo in hunc finem. 1. vt esset *μνημόσινον* beneficij in Ægypto præstiti, Exod. 12. quòd primogenita Israelitarum conseruauit.

*Primogenita
enr Deus po-
pularit.*

2 Significabant se à Deo filios suos accepisse, & eidem consecrandos esse, atq; adeo paratos esse debere, vt necessitate postulante, eos ei offerrent,

3 In omnibus optima & præstantissima quæq; Deo offerenda & ad conseruatione ministerij ac pauperū subleuatione conseruanda esse. Primogenitorum enim erat summa dignitas in populo Dei.

4 Primogenita typus fuerunt Christi, qui se victimā in ara crucis patri suo obtulit, ad expiandū nostra peccata. Luc. 2. Maria peperit filiū suum primogenitū & fascijs eum inuoluit, &c. Primogenitus dicitur non relatione ad posteriores, sed vt eius dignitatē & excellentiā ostendat. Ipse est sacerdos & rex noster, ipse est primogenitus inter multos fratres, id est, inter eos qui adoptione filiorū per hunc acceperūt, Rom. 8. Primogenitus est ex mortuis ad Col. 1. cap. Apoc. 1. cap. Per ipsum enim resurgimus ad vitā omnes. Ibidem appellatur primogenitus omnis creaturæ.

Afferemus in domū Dei nostri, sacerdotibus ministrantibus in domo Dei nostri.) Hoc est, seruientibus & laborantibus. Maximos labores sustinebant offerendo sacrificia, erant quasi lanij, deinde docebant, &c. Dignus autem est operarius mercede sua, vt Christus dicit.

Imò

Imò illis quoq; qui propter morbos inutiles sunt ad ministerium, in quo se antea bene gesserunt, de necessarijs prospiciendum est. Tanta est hodie ingratitude hominum erga ministros Dei, vt cum otiosos ventres & falsos doctores non pigeat liberaliter saginare, vt Iezabel suos Baalistas, laboriosis & pijs ministris aliquando vix dent, vt latrantem stomachum possint placare.

Et primitias pastarum nostrarum.) תשיח reschith initium, principium, arischa pasta, conspersio, massa farinacea, panis coctio, cibus.

Et oblationum nostrarum.) Therumah & in plurali therumoth oblationes, quæ tempore legis separabantur Domino, vt erant primitiæ frugum, & aliæ quædam contributiones, ex quibus quædam leuabantur in altum à sacerdote, & ob id therumoth vocabantur 2. Regum 1. Timphot verò quorum in lege fit mentio, deferebantur versus quatuor mundi plagas, & non in altum leuabantur, Munsterus in suo lexico. Quidam negant fuisse species sacrificiorum, sed tantum ritus quibus sacerdotes in oblationibus vel sacrificijs vsi sint. Sed hic locus & alij in hoc libro eos refellunt. Paulus Fagius in 29. caput Exodi super Chaldæum Paraphrasten: Dicunt doctores Hebr. inquit, quòd in sacrificijs duplex erat eleuatio: altera quæ sursum & deorsum mouebatur, & hæc Hebræis dicebatur Thrumah, ab exaltando. Altera antrorsum & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum, hoc est, ab oriente in occidentem, deinde à septentrione in meridiem agitabatur & mouebatur, qua agitatione Deum totius terræ Dominum significabant, & hæc Hebræis vocabatur Thenuphah, quasi dicat mouenda. Nophot, climata mundi dicuntur, lege reliqua. Idem in 15. capite Numerorum ad paraphrasten Chaldæum scribit: Ex prima farina in pastam subacta, munus primitiarum Domino erat faciendum, priusquam vllus hominum quicquam gustasset de nouo frumento. Quicumq; igitur paterfamilias proprium habet reconditorium, tenebatur offerre placentam aut tortellam, priusquam ipse aut sui nouum gustarent frumentum. Et illa placentam erat quasi census Dei, quo se eius imperio subiectos significabant, & ostendebant se illa ab eo accepisse. Adhuc hodie Iudæorum mulieres quoties pinsunt huiusmodi placentam à reliqua pasta separant, & quasi Domino consecrant. Verum quia non est amplius templum vbi olim illa Domino offerebatur, nec sacerdotes illi Leuitici quibus da-

Thrumah leuatio & thenupha motio.

batur, idcirco hodie eam in clibanum semper conijciunt atque comburunt, dicunt enim quod ea non liceat vesci, &c. Vetus in terpres vertit, & primitias ciborum nostrorum & libaminum nostrorum, esculenta & poculenta intelligens. Munsterus, libaminum nostrorum, & separationes nostras. Thruma sacrificium quod ab eleuando Hebræis dicitur, parapraestes Chaldæus ubiq; ferè separationem vertit, eò quòd à vulgari vsu ad sacrum separetur, singulis annis priusquam gustarent nouas fruges præcepit vt thrumah afferrent, id est, eleuationem, id est, munus quodam in templum, de quo Deut. 26.

Ac fructus cuiuscunq; arboris, vini & olei afferemus sacerdotibus.) Munsterus vertit vinum. Thirosch mustum significat.

Et oleum.) Repetunt quod primos fructus arborum velint afferre: forte quia ambigitur à quibusdam, an vites inter arbores numerandæ sint, &c.

Ad cubicula domus Dei nostri.) לשכחא lischkah & נישכחא nischka posita nun pro litera lamed, camera, exedra, gazophylacium, triclinium: in plurali, cubicula, Munsterus hoc loco penuaria vertit cap. 12. ædiculas. Romanis quoq; nouis frugibus vesci non licebat, neque nouum vinum bibere, priusquam sacerdos primitias libasset. Hinc factum vt in papatu nouæ fruges in templum deferantur, vt sacrifici illas benedicant.

De primitijs rerum aridarum & liquidarum, multa leguntur in lege Exodi 23. v. 19. Primitias primitiuorum terræ tuæ adduces ad domum Iehouæ Dei tui, &c. Iubet afferri primitias de his quæ primo è terra nascuntur. Num. 18. fit mentio etiam olei, vini. Deut. 26. iubentur primitias omnium terræ fructuû in sporta afferre. Ter offerebantur primitiæ domino, tribus solennibus festis, Leuit. 23. Primo in paschate, quando gomer de primitijs nouarum frugum postridie diei festi offerebant. 2. in festo Pentecostes, quando incipiebat messis triticea, antequam eam inciperent panes nouos domino offerebant. 3. alio tempore, nimirum in festo tabernaculorum, quando fructus collecti erant, olei & vini fructuumq; primitias. Alioqui singuli mox atq; maturos fructus collegerunt, primitias solebât offerre. Non præscribitur certa dies. In Num. cum incipietis comedere de pane terræ, primitias consersionum vestrarum offeretis. Bona autem fide & tempestiuè primitias persoluere debuerunt. Finis fuit,

1. Vt Deo honorû largitori gratias agerent de terra, & frugum atque fructuum prouentu, & cogitarent se omnibus de-

stitutos,

Oblatio publi-
ca primitiarû.

Oblatio prima
26.

stitutos, hæc tanquam è manu Dei accipere.

2. Ut excitarentur ad orandum Deum pro frugibus, atque benedictionem ab eo peterent, quo ad rectum vsum, vtq; reliquarum frugum vsus sacer esset. Rom. II. Si primitiæ sanctæ, sancta etiam massa. Precibus enim sanctificantur sibi.

3. Ut hæ oblationes victui sacerdotum cederent, Num. 28.

4. Primitiarum eadem significatio, quo ad typum fuit, qui & primogenitorum.

H O M I L I A XLVII.

Solutionem decimarum promittunt.

37 *Et terræ nostræ Leuitis: ipsi autem Leuitæ (erunt hi qui) decimas accipient in omnibus vrbibus operum nostrorum.*

38 *Aderit verò Sacerdos filius Aharon cum Leuitis, quum decimam accipient Leuitæ: & Leuitæ ipsi offerrent decimam decimæ in domo Dei nostri, in ipsa cubicula in domo thesauri.*

29 *Ad cubicula enim (illa) deferent filij Israelis & filij Leui primitias frumenti, vini et olei: & ibi erunt vasa ipsius sanctuarij, & sacerdotes ministrantes, & ianitores, & cantores: & non dimitemus domum Dei nostri.*

IVdæi in articulis reformationis inter alia promittunt, se sacerdotibus & Leuitis allaturos, quæ lex eis dare præcipit. De primitijs frugum & animalium, item de separationibus audiuius: sequitur iam de decimis.

Multi in lege extant de persoluendis decimis, in Leuit. 27. *Decimæ triplices* Numeri 18. in Deut. 24. & 26. cap. Decimæ verò triplices fuerunt. Primæ & communes erant quæ Isaelitæ de omnibus suis fructibus dabant. Numeri 18. cap. Sed decimas filiorum Israel, quas illi soluunt Domino veluti leuationem, tradidi Leuitis in hæreditatem, & ideo dixi eis: In medio filiorum Israel non possidebitis hæreditatem, &c. Ab istis primis decimis, subtrahebant Leuitæ decimam partem, eamq; dabant summo sacerdoti. Hæ decimæ vocantur secundæ, & decimæ de decimis. Erantq; res sancta, quæ extra Hierusalem comedi prohibebatur, nec poterat vendi nec commutari. Efficere enim Deus voluit, vt hac occasione sacerdotum doctrinam audirent. De his decimis etiam

habes Numeri 18. Loquutusque est Moyses ad Dominum dicens: loquere ad Leuitas, & dices ad eos: Cum acceperitis à filiis Israel decimas, &c.

Porrò in tertio quoque anno, ab anno remissionis, illas eandem decimas secundas, pauperibus separarunt, hoc est, Leuitis sedentibus inter portas, peregrinis, pupillis & viduis: & hæ quoque secundæ & aliquando tertiæ decimæ, item decimæ pauperum ab Hebræis appellantur. De his decimis in fine capituli 14. Deut. ita præcipitur: A fine siue à principio tertij anni, proferes omnes decimas frugum tuarum, pro illo anno, & reponas intra portas tuas, & comedent atque saturabuntur, &c.

Collectio igitur decimarum huiusmodi erat. Primæ duæ decimæ, primo & secundo, quarto & quinto ab anno remissionis separabantur. Tertio & sexto anno, ommissis decimis secundis, in locum eius decimas pauperum seposuerunt, de quibus distribuerunt pauperibus, &c.

Hodie Iudæi cum non amplius sint in terra sua, neque habent Leuiticum sacerdotium, decimas ita pendunt, ut si qui sunt inter eos religiosiores, decimum nummum de omnibus bonis & facultatibus suis, pauperibus distribuunt, &c. Vide de his & alijs, annotationes doctissimi viri Pauli Fagij in Paraphasten Chaldæum super 14. caput Deut. vers. 22.

Sacrificia, primitias, primogenita, decimas & alia habuerunt sacerdotes & Leuitæ ad vitam sustentandam. Nullam enim in distributione terræ, ut reliquæ tribus, portionem acceperant. Sparsi enim debuerunt esse per totam terram Israelis.

Iussit autem Dominus sibi decimas, & omnia illa dari, quæ postea ipse suis ministris dedit, Numeri 18. cap. Si populo quiduis dandi liberum permisisset, malè illis fuisset prospectum.

Malachiæ 3. capite reprehenduntur Iudæi quod decimas non iustè persoluerint, illisque negatis, se spoliatum Deus queritur, nam quod sacerdotes esuriebant in eis contemptum cedebat. Si non dederint, minatur se deinceps eos alijs modis afflicturum: si dederint, se eos omni benedictione impleturum & conseruaturum eos ab omnibus aduersis, &c.

Populus hoc loco promittit se decimas bona fide persolurum Leuitis, in omnibus vrbibus operum suorum, hoc est, vbi culturam exercent: multos enim agros incultos & neglectos fuisse, non est dubitandum.

Adesse sacerdos aliquis ex Aaronis familia debuit, dum Leuitæ à populo decimas accipiebant. Leuitæ quoque decimas de decima in templum Domini, & in ipsa cubicula, in domum thesauri, granaria, vbi fruges & alia reposita erant, quæ thesauri nomine veniunt, offerre debuerunt. Leuitas enim paulò ante dictum est, decimam partem decimarum eis à populo persolutarum, summo sacerdoti dedisse, primitias quoque frumenti, vini, olei, in illa loca inferebantur, vbi erant sancta vasa: & ministri suam habitationem habebant, fungentes suo ministerio, secundum vices suas.

Et non dimittemus domum Dei nostri. Id est, cultum templi.

Queritur an sublato sacerdotio Leuitico, etiam decimæ quibus sacerdotes alebantur, sublatae sint: præsertim cum constet Apostolos non ex decimis vixisse?

De decimis vni testamenti.

Respondendum naturam docere, alendos esse ministros ecclesiarum: idem Christus ipse docet, & eius Apostoli. Matthæi 10. 1. Cor. 9. ad Galatas 5. Item, aduenis, viduis, pupillis, pauperibus prouidendum esse. Quomodo autem hoc fieri debeat, an ex decimis, an aliunde non est expressum. Apostoli, septuaginta discipuli & alij doctores, decimis vsi non sunt, quia sacerdotes eorum insensissimi hostes, eas possidebant. Vt hodie quoque sacrifici, ita vt ad pios ministros nullus illarum fructus redundet. Priuatorum igitur opibus sustentati fuerunt.

Postea cum reges & magistratus Christianam religionem sunt amplexi, curam ministrorum ecclesiarum & pauperum ad se transtulerunt, decimas aliosque redditus eis assignantes. Principes suas regiones possident, suos fundos, prædia, agros habent, sua quoque mancipia, à quibus exigere possunt decimas paruas & magnas, nonas aut quartas, nam horum sunt decimæ 1. Samuelis 8. cap. De Pharaone legitur Genesis 47. quod Ægyptios quintam partem de suis agris iusserit persolueri. Multis decimæ visæ sunt commodissimæ, & ad alendum ministros, ad templa facta tecta conseruanda, & pauperes subleuandos. Quis enim non libenter multas decimas daret? Proinde ecclesias his & alijs suis bonis donarunt ex sua liberalitate. Vt de Constantino Magno sub quo ecclesiarum pax, reddita est, & Carolo Magno, & alijs legitur in historijs, concilijs, patribus.

Sunt autem multi & magni abusus circa decimas. Nam cum principio singulis ferè ecclesijs ab imperatoribus & principibus decimæ assignatae essent, postea collapsa paulatim vera

Incorporatio prebendarum, vt vocant.

doctrina, monachi qui sua merita iactare inceperant, eas sub titulo, vt barbarè vocant, incorporationis, ad se rapuerunt. Promiserunt parrochianis quod ministrum verbi vellent alere: & si qui inter ipsos laborem exercere amplius non valerent, eos in sua monasteria recipere, & ad obitum vsq; sustentare. Et sic paulatim multæ parrochiæ dicimus suis spoliatæ sunt. Vendiderunt etiam parrochiæ decimas suas Laicis, vt vocant, permittentibus Episcopis: Idem etiam fecerunt monachi. Quamquam quædam decimæ fuerunt, quæ laici semper habuerunt. Quidam nobiles ecclesijs sua bona eripuerunt, vel ad alios vsus transtulerunt. Parrochiæ vero decimas non vendere, sed retinere debuerunt. Hodie monachi multi & potentes, illis opibus sacris ad euerisionem & oppressionem ecclesiarum abutuntur & ad alendam suam luxuriam. Et quamquã vtile esset, decimas ad verum & pristinum vsum reuocari: tamen hoc in illa hominum corruptione ne sperari quidem potest.

Non autem decet Christianos, propter opes pacè publicam turbare, quæ redimenda est cum magno nostro incommodo. Christus seruator noster, tributum quod non tenebatur persoluerè, persoluit, ne quæquam offenderet, Matth. 17. Deinde obtemperandum est principibus in rebus quantumuis asperis & difficilibus. Tyranni cogunt interdum suos dare, quod non tenentur, licet verò illi citra peccatùm hoc facere nequaquã possint: hi tamen qui sua illis dant, hoc absq; peccato possint facere. Si autè aliquis debita exigat, non habeat quod querantur. Porro si quis vel decimis vel alijs quæ iure exigat, non rectè vitur, rationem ipse Deo reddet. Christiana libertas neminem à decimis, aut alijs civilibus oneribus eximit. Obijciunt, communem esse vsum terræ, aquarum, &c. At hoc non simpliciter verum est. Deus enim rerum proprietatè ipse sanxit, & cuiq; regioni suos fines attribuit. Si velis tuos agros liberos, ne contrahas æs alienum, vt eos oppignorare cogaris, aut redde pecuniæ summam illis à quibus vel tu accepisti vel alij, data illa hypothecca. Adhuc qui decimas soluunt, agros, vineas & alia viliore precio habent: nisi enim grauata essent decimis, longe maiore precio fuissent comparandæ. Vt cum quis de domo sua annum redditum soluat, summa illa detrahitur in emptione: alioqui teneretur tota summam pecuniæ soluere. Si quis decimas dare nolle, iure teneretur venditoribus à quibus agros viliore precio emit, aut eorum prædecessoribus, pecuniæ summam reddere, alioqui fraudaret eos, vel saltem pauperibus.

Discimus exemplo Iudæorum, ad alendum ministros ecclesie, census debitos & decimas conferre, idque bona fide. Nam qui non dant, vel magis dant quæ dare tenentur, aut iam dudum ab alijs data auferunt, sunt sacrilegi. Iudæi sponte afferbant, à multis hodie vix possunt extorqueri debita.

Illi quibus procuratio decimarum & aliorum sacrorum vectigalium commissa est, fideliter agant: opes iam collatas ab alijs bene collocent: non luxuriose consumant.

Ministri ecclesie quibus conferuntur decimæ & alia, suum officium diligenter exequantur, non vsuras exerceant, non alijs sint molesti, &c.

Plura de decimis quære in libro epistolarum Oecolampadij & Zuinglij libro 1. folio 21. & apud Guilielmum Stuccium in lib. 1. de conuiujs capite 19.

C A P V T XI.

H O M I L I A XLVIII.

Qui habitauerunt in Hierusalem in-
aurata.

Habitauerunt itaque principes populi in Ierusalaim: residuum verò populi iecerunt sortes, ut adducerentur vnum e decem ad habitandum in Ierusalaim ciuitate sancta, & nouem (alije) partes in ciuitatibus.

2 Benedixeruntque populus omnibus viris spontaneis ad habitandum Ierusalaim.

M T seriem historie rectius intelligamus, quædam paulò altius repetenda sunt. Supra capite septimo audiuius, Nehemiam mœnibus instauratis, consilium cœpisse de incolis in urbem transferendis, quæ cum magna & ampla esset, incolas paucos habebat: collectis igitur proceribus, populum numerauit per tribus & familias, ut ex omnibus aliquot in urbem transferret, qui eam contra hostes defenderent. Septimus verò mensis, qui totus ferè festus fuit, obstitit quò minus Nehemias opus institutum imperficeret. Festa enim celebranda erant, de quibus per tria capita, nempe 8. 9. 10.

Continuatio